

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Philologico-Critica De Annis Ahasiae Jvdaeorum Regis, Ad concilianda Loca Scripturae 2. Reg. VIII. 26. & 2. Chron. XXII.2.

**Schröder, Johann Joachim
Böhme, Johann Christian**

Marbvirgi Cattorum, 1715

[urn:nbn:de:bsz:31-130541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130541)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

1652

DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA
DE
ANNIS ACHASIAE
JUDAEORVM REGIS,

*Ad concilianda Loca S. Scripturae 2. Reg. VIII. 26. &
2. Chron. XXII. 2.*

QVAM
P R A E S E S

JOH. JOACH. SCHRÖDERVS,
Hist. Eccles. & Lingg. Sacrar. atque Orient. Profef-
for Ordinarius, Academiaeque Bibliothecarius,

*Publica Doctissimorum Dnm. Commilitonum disquisitione
IN ACROATERIO PHILOSOPHICO*

*Ad Diem XXVI. Octobr. MDCCXV.
Examinandam exhibet,*

R E S P O N D E N T E
JOHANNE CHRISTIANO BÖHMIO
Rotenburgense - Hasslo.



MARBURGI CATTORVM
Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typ.

1715

VIRIS
PLVRIMVM REVERENDIS,
CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS,

Nec non

PRVDENTISSIMI SSPECTATISSIMIS,

VERBI DIVINI

MINISTRIS,
CONSVLIBVS,

REIPVBL. ROTENBURGENSIS

DIGNISSIMIS,

Omnibusque reliquis

ORDINIS SENA-
TORII MEMBRIS,

GRAVISSIMIS, MERITISSIMIS.

DNN. MECAENATIBVS, EVER-
GETIS ATQVE FAVORIBVS SVIS
VENERANDIS, COLENDIS.

Specimen hoc Academicum

D. D. D.

J. C. BÖHM.

נעה
 DISSERTATIONIS
 DE ANNIS ACHASIAE
 JVDAEORVM REGIS

§. I.



Uamvis Scriptura Sacra, verbum utri-
 usque foederis, quo Deus humanum
 genus sibi devincire dignatus est, ita
 sit per sanctos Dei Viros כהרש אנוש
 stylo ac phrasi mortalibus recepta. Jes.
 8: 1. literis consignata, ut atten-
 dens quivis ex ea in rebus fidei &
 morum εν τω ιδιω νοι πολλησφορειαξ

Rom. 14: 5. *In sua mente certus esse;* infantes lac fidei
 fugere Hebr. 5: 12. 1. Petr. 2: 2. sensusque ad bonum à malo
 discernendum exercitos habentes cibum solidum petere
 Hebr. 5: 12. Omnes lucernam in squalido & caliginoso loco
 lucentem habere possint 2. Petr. 1: 19. Cum sit clarum &
 oculos illuminans Dei verbum Psal. 19: 8. 119: 105. ac pro-
 inde præceptum fidei ad justitiam וְלֹא נִפְלְאוּרָהּ הוֹיָה *ne-*
que mirabile וְלֹא רָחוֹק הוֹיָה *nec longe petitum* Deut-
 30: 11, ff. sed in ore & in corde, Rom. 4: 6, ff. fatuum red-
 dens sapientem, Pl. 19: 8. ad salutem sufficiens, 2. Tim.
 3: 15. & non nisi τοῖς ἀπολλυμένοις velatum: non tamen
 ista S. literarum perspicuitas obstat, quo minus cum in vo-
 cibus quibusdam & dicendi modis, tum in rebus antiqui-

A 2

tate

tate & sublimitate sua captum lectoris transcendentibus occurrant *δυσνόητά τινα*, non in Paulinis tantum Epistolis 2. Petr. 3: 16. sed in reliquis etiam Codicis *Θεοπνεύστis* partibus, ut cum Doctorum tam Judaicorum, quam Christianorum, antiquorum aeque atque recentiorum testimonio res ipsa loquitur. Hinc optime Gregorius ille I. & Magnus in prolog. ad lib. Reg. p. m. 835. dicit: *Sacra vero Scriptura quia divinitus inspirata est, tanto sublimius etiam praeclara hominum ingenia superat, quanto ipsi praeclari homines DEO inferiores & nihil in illa spiritali sublimitate conspiciunt, nisi quod ejus ipsius divinae dignationis bonitate revelatur. Nemo igitur in ejus sententia ita profectus est, ut proficere ultra non possit: quia inferior est omnis profectus hominis, divinitatis altitudine eam inspirantis. Et post pauca: Scriptura enim Sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut & si multipliciter videatur exposita, non desunt tamen ei secreta, quibus servet occulta: quia fere nunquam sic exponitur, ut ei non plura remaneant, quae quotidie exponantur.*

§. II. Quoties igitur aliqua nobis in sacro sancto Dei verbo difficultas oboritur, & verba cujuscumque in eo loci, vel in se spectata, vel alio relata, non perspicui statim aut conciliari invicem possunt, non abjicienda protinus hasta est, minus Scriptor sacer erroris vel levissimi accusandus, aut exemplaria Testamenti Divini ad unum omnia nobis adeo corrupta sunt censenda, ut non ubique de sensus integritate ac veritate constare & modesto ingenio satisfieri possit. At erroris & oscitationis postulare hos, qui *εὐθεος* canonicas istas tabulas scripserunt, sanctos Dei homines, quid aliud est, quam contumelia non homines sed ipsum Deum, fallere ac falli nescium, afficere? Id quod tamen solemne videtur esse pessimis quibusdam e recentioribus Criticis, nihil pensi habentibus, mundum vanis
vastae

vastae molis commentariis onerantibus, ipsismet sufficienti
linguarum aliarumque scientiarum subsidio plane destitu-
tis. Sed hos, ne errent, monco, & desinant laceffere.
Γενέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθείης, πᾶς δὲ ὁ ἄνθρωπος ψεύτης, καὶ ὡς
γέγραπται, ὅπως ἀν δικαιωθῆς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νική-
σης ἐν τῷ κρίνεσθαι σε, Rom. 3: 4. *Sacrae enim Scripturae,*
uti inquit supra laudatus Gregorius P. *quae ad agnoscendum*
Redemptorem sunt editae, pro sublimitatis suae dignitate ve-
nerandae etiam tunc sunt, cum non intelliguntur. loc. cit.

§. III. Verum ut sacras literas ignorasse periculo-
sum, reprobasse autem exitiosum merito dicitur; ita de-
num in perpetua earundem meditatione omne tempus
consumens, felix praedicatur, Psal. 1: 1. Quare etiam,
quoniam non nisi timentibus ipsum Deus suae voluntatis
arcana notiora reddit, ne irretiat pes tuus, irretortis ocu-
lis Dominum respicias, Psal. 23: 14. Eadem qua prolata
sunt lingua, divina ista eloquia perlegas, repetas, Viro-
rum eruditione ac pietate conspicuorum sensa consulas,
& quidquid est in aliis scientiis & artibus subsidii, sicubi
opus est, conferas. Hacque demum ratione non ἐνθεσ-
σιακῶς vel ἀπὸ μηχανῆς sed firmioribus rationibus tibi Deum
fuisse locutum constabit, si ἐν τῷ ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς cer-
ta tibi pro certis, probabilia pro talibus habueris, con-
ditionis tuae humanae, angustis sane limitibus circum-
scriptae & erroribus obnoxiae, haud quaquam imme-
mor: ut tandem, quod vel verum vel falsum est, clare &
distincte percipias, & ab ea perceptione te dimoveri nun-
quam permittas.

§. IV. His, ut decebat, ad animum revocatis, &
rogato Spiritus S. in omnem sapientiam ducentis, auxilio,
tuum nunc Veteris T. δυσνόητον considerandum nobis ob
oculos ponimus, locaque inter se omnium consensu ἐναν-
τιοφανῆ, & jam dudum maximorum virorum Crisi multi-

fariam tentata, ea, qua pote, diligentia ac circumspectione conciliare tentabimus: nulli dubitantes, pium ac modestum Lectorem, si forsan in re ad eo ardua non ubique album mereamur calculum, facilem tamen nobis concessurum veniam, quum conspexerit, talem nos attulisse conciliandi modum, qui salva textus S. & auctoritate & integritate, non secasse nodum Gordium, sed solvisse aliqua saltem ratione diceretur: eo tantum sine, ut temerariis istis Neo-Criticis obviam eundo monstretur non statim ἀβελήσιος errorisve postulandos esse Θεοπνεύστους illos Viros, Spiritus S. Amanuenses, vel corruptos sive de industria, sive temporum injuria codices Hebraeos, sed constare sibi hactenus Scripturam S. unicum fidei vitaeque nostrae cano- nem. Faxit Deus, ut hi conatus nostri cedant ad sanctissimi sui Nominis gloriam, nostramque erga verbum Ipsius venerationem & in fide confirmationem!

§. V. Refert Sacer historiae Regiae Scriptor, Achasiam Judaeorum duos & viginti annos natum regnare coepisse, quod tamen regni ejus initium Annalium S. conditor (2. Chron. XXII. 2.) ad quadragesimum secundum aetatis ejusdem Regis annum omnino referre videtur.

Prioris verba haec sunt:

בן עשרים ושתים שנה אחיהו במלכו ושנה אחת
 מלך בירושלים ושמא עתליהו בת עמרי מלך ישראל
 Juxta τὸς δ.

Τὸς εἴκοσι καὶ δύο ἐτῶν Οχοζίας ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτὸν καὶ
 ἐνιαυτὸν ἓνα ἐβασίλευσεν ἐν Ἱερουσαλήμ, καὶ ὄνομα τῆς μη-
 τρὸς αὐτοῦ Γοθολία θυγάτηρ Ἀμβρι βασιλέως Ἰσραὴλ.

Quae Vulgatus ita reddit:

Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset, & uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israel.

Posterioris vero haec:

בן ארבעים

בן ארבעים ושתיים שנה אחיהו במלכו ושנה אחת מלך
 בירושלים ושומו עתליהו בת עמר.

Juxta 78's LXX. heic legitur :

Ὡν ἐτῶν εἴκοσι Ὀχοζίας ἐβασίλευσε, καὶ ἐνιαυτὸν ἓνα ἐβασί-
 λευσεν ἐν Ἱερουσαλήμ, καὶ ὄνομα τῆ μητρὶ αὐτῆ Γοθολία θυγά-
 τρις Ἀμβρί. male εἴκοσι substituentes; melius Interpres

Vulgatus:

Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum re-
 gnare coepisset, & uno anno regnavit in Jerusalem, & no-
 men matris ejus Athalia filia Amri.

Textum in libro Regum pressius sequuntur paraphrases &
 versiones antiquiores omnes, Chaldaica, Syriaca, Arabica,
 Armena, &c. Sed in Chronicis quasi contradictionem
 evitaturae pro **וּשְׁתַּיִם אַרְבַּעִים** legunt Syriaca & Arabica
 pariter *viginti duo*, sola Graeca *εἴκοσι viginti*. Adcoque,
 cum in libro Regum *viginti duos*, in Chronicis vero qua-
 draginta duos annos natus videatur asseri Achasia, mi-
 rum non est, quod vel ad difficultatem tollendam vel ad
 medelam loco adhibendam varii varia sive commentisive
 commentati sint Interpretes & Critici, tam Judaei quam
 Christiani, uti e sequentibus patebit.

§. VI. Si consulamus *Κριτικώτατον* Ludovicum
 Capellum, is, uti in Critica sua S. lib. VI Cap. VII. plurima
 Codicis S. loca ἀδιάλλακτα, ἄπορα, praecipiti nimis judi-
 cio censet, quae vix alia ratione solvi aut conciliari pos-
 sint, quam admittendo levem Scribae lapsum, ita l. c.
 §. VII. idem suo more pergit, scribens: 2. Chron. 22:2,
 Achasia dicitur natus annos 42. quum coepit regnare,
 atqui Joram Pater natus erat 32. annos cum regnare coepit,
 regnavitque annos 8. Uti constat ex 2. Reg. 8:26. obiit ita-
 que annos natus 40. qui potuit ergo Achasia ejus filius
 esse natus annos 42. cum regnare coepit, sic enim fuisset
 patre suo senior. Omnino itaque legendum *annos natus*

22. non vero 42. Et sane 2. Reg. 8: 26. dicitur Achasia natus annos 22. cum coepit regnare. Sic etiam habent LXX. 2. Chron. 22:2. in Edit. Wechel. in Sixt. autem legitur ^{עיוסו} *viginti*. Hæc Capellus. Huic pollicem eo nomine premit famosus ille in Gallia Criticus Richardus Simon, in libro, quem vocat, *Histoire Critique du Vieux Testament*, lib. III. C. XX. pag. 533. asserens. „ Et comme cette Critique (Ludov. Capelli) merite d'estre lûe avec application, si l'on veut scavoir à fond l'Ecriture sainte, & *mox*; Quoy qu'il fut Protestant, il n'estoit point cependant entesté des prejugez ordinaire a ceux de sa secte; il marque avec liberté tous les defauts, qu'il croit estre dans les Exemplaires Hebreux d'aujourd' huy, & il previent en mesme temps les objections qu'on luy peut faire dans une matiere d'aussi grande importance qu'estoit celle là &c. Horum ineptius infelicem suum calculum adjicit modernus Remonstrantium Pseudo-Criticus Johannes Clericus in Commentis suis ad 2. Chron. 22. 2. ubi suo & Capelliano more ita habet:

At 2. Reg. 8. 26. dicitur Achasia natus fuisse 22. annos cum coepit regnare, quod confirmat capituli superioris ψ . 20. ubi docemur Achasia Patrem 32. annos natum fuisse cum regnare coepit & regnasse 8. annis, ita ut 40. annos natus mortuus sit. Ac proinde non potuit relinquere filium 42. annos natum, qui sibi succederet. — Credibile est pro כ"ב scriptum כ"י cum numeri literis signarentur. Talia menda in omni generis scriptoribus inveniuntur &c. Taceo jam alios, viros cætera in rem literariam optime meritos, humani quid passos, textum Hebræum h. l. mendo vix liberari posse, quamvis dubitanter, asserentes.

§. VII. Quantum ad Capellum, respondiſſe ei ad hunc locum sufficiet, quod, præter viros undiquaque doctissimos, ipse citatus antea Simon objicit l. c. p. 534. que

que comme Capelle s' est entierement appliqué à rapporter les différentes leçons de la Bible, il les a quelques fois trop multipliées, -- & tout ce qu' il a voulu faire passer pour de véritables diversitez, ne l' est pas toujours. An enim conciliari possint, haec, quae nunc meditamur, loca, ex dicendis inferius iudicium penes candidum lectorem esto. Sed ex turbidis versionum rivulis limpidissimum velle fontem iudicare, non nisi hominis cum ratione insanientis est. Quod vero Richardi istius Simonii Historiam Criticam spectat, nulli dubitamus, de ea nostrum facere verissimum h.l. quorund. (uti habet inscriptio) Theologorum in Batavis iudicium: *On y remarqueroit une extreme confusion dans les matières, & dans les pensées. On y trouveroit mille conjectures peu vraisemblables, mille faux raisonnemens, mille chimeres, & enfin tout ce qu' une fausse erudition a accoutumé de produire.* Iste si Pauli Apostoli, vel saltem supra laudati Gregorii M. Papæ, erga sacras literas pietatem sibi ob oculos posuisset, πᾶσαι γραφῆν θεόπνευσον & αὐτόπιστον dixisset, nec toties Capellum, a se nunquam satis examinatum, commendasset. Non majoris fidei est hominis nihil pensi habentis, εἰς ἀδόκιμον νῦν dati, Clerici commentum, quod nemini nisi sui similibus persuadebit, scilicet pro כ"כ scriptum fuisse כ"מ, donec unum codicem antiquum in quo numeri literis signati extent, vel testem omni exceptione majorem, producat, qui talem se vidisse asserat: Id quod cum Hugone Grotio ad Marc. 15. ipse Simonius, caeteroquin audacissimus, unquam factum esse negat, H. C. V. T. lib. 2. c. 4.

§. VIII. Quapropter, saniori sane instituto, eò potius, ut accurentes in sacris literis ἐναντιοφανείας rationibus, quibus potuerunt, καὶ ἀναλογίαν textus & fidei, validissimis conciliarent, eruditionis ac pietatis laude conspicui Interpretes & Critici, Judaei non minus atque Christiani

stiani, omnem suae mentis aciem intenderunt; eaque modestia, ut suas in rebus difficillimis opiniones nemini obrudentes, liberrimum aequo lectori de iis iudicium reliquerint. Qua de causa & nos, varios aliorum ad haec loca concilianda modos ante producemus, quam nostram de iis mentem in medium proferamus. Prima itaque, eaque antiquior, sententia est prolata a R. Jose in libro Seder Olam Rabba, Cap. XVII. אמר ר' יוסי וכי אפשר לבן שיהיה גדול מאביו כשתי שנים אלא כיון שהשיא אסא את בנו לבתו של עמרי נגזרה גזירה על מלכות בית דוד שחכלה עם בית אחאב וכן הוא אומר ומאלהים היתה תכוסת אחיזהו וגו' ונפלו שניהם בו ביום זה עם זו:

An ergo inquit R. Jose filius potest esse senior Patre duobus annis? Ast respondendum, ex quo Asa filio suo (Jehosaphat) in matrimonium dedit filiam Omri, divinitus decretum est super regnum domus Davidicae, ut periret cum domo Achabi regis Israel, (nempe 42. annis ante hanc historiam.) Sic etiam Scriptura testatur (ibidem 2. Par. 22: 7) A Deo fuit conculcatio Achasiae &c. Sicque ambo (reges) simul eodem die sunt extincti. Eundem solvendi nodi modum adhibuit & Ralbag, s. R. Levi ben Gerson, in Comment. ad 2. Reg. 8: 26. istos 42. annos ita computans: וזה שאחר שלשים ואחת שנה לאסא מלך עמרי על כל ישראל ואחר זה מלך שש שנים ואחאב בנו עורים ושתיים ואחזיה שנתים ויורם היה בשנת שתי עשרה הרי ארבעים ושתים i. e. Decretum istud factum est post tricesimum primum annum Asae, ex quo Omri super omnem Israelcem regnavit adhuc 6. annos, Achab filius ejus annos 22. Achasia 2. & in anno Joram 12. absoluti sunt isti 42. anni, quibus steterat regnum Omri, cum & Joram & Achasia simul a Rege Jehu interficerentur.

terficerentur. conf. 1. Reg. 16: 23, 29. 22: 52. & 2. Reg. 8: 25.
2: 94, 26. Per Reges Judaeorum eund. annorum nume-
rum 42. colligit (quamvis ut audiemus aliam solutio-
nem substituat) Radak in Com. ad רבני הימים ב, ap-
probata tamen haec expositio est a non paucis ut a R.
Schelomo Jizchak, a Genebrardo, Serario, Ligtfooto, &
τῶ ἐν ταῖς γραφαῖς δυνατῶ Celeberrimo Coccejo nostro,
neque displicuit Cl. Mejero, qui eam ab exceptionibus
Glaffii & Saliani vindicavit in Annot. ad Seder Olam c.
XVII. p. 921.

§. IX. Nihilo tamen minus, ut Kimchio recte videtur,
הפשוט מדרך רחוק הוא זה המדרש והו' hic subtilis interpretan-
di modus nimis longe recedit a sensu literali, hinc aliam
conciliationis viam ingreditur, dicens, כי יהורם היה
יותר מ' שנה ולא מנה מימי מלכותו אלא ח' שנים שמלך
בחוקתו אבל מעת שנפל ביד הערבים ונפל ג' כ'
בחליו לא מנו לו ימי מלכותו והמליכו אחיהו בנו בחיז מעת
שנפל אביו והלך בל' חמרה והיו כ' שנה וכשהמליכותו
בחיו אביו היה כן עזרים ושתים וזה שאמר במלכים
כן כיב שנה אחיהו במלכו וכשמר היה כן מיב שנה ולא מלך
i. e. Joramum fuisse
quidem quadragenario majorem, sed non nisi octo vi-
gentis regni annos in sacris literis memorari, ex quo tem-
pore vero in manus Arabum & in morbum inciderit an-
nos regni ejus non recenseri, euectum autem fuisse ad
regiam dignitatem filium ejus Achasiam vivo adhuc, sed
infeliciter rem gerente, Patre viginti annis, ad mortumque
eum fuisse ad commune cum Patre regimen anno aetatis
suae vicesimo secundo juxta 2. Reg. 8: 26. mortuum de-
nique annos 42. natum postquam anno uno patri super-
stes fuisset. Verum quia haec sententia 20. annos, praec-
ter, imo contra S. Scripturam, & rationes Chronologicas,
B 2 inter.

interferit; quamvis ea sit Hieronymi, s. Auctoris traditionum Ebraicarum, Lyrani, Vatabli, P. Martyris, Gasparis Sanctii, aliorumque, a diverso licet principio computantium, merito rejicitur.

§. X Vir Clarissimus Ludovicus de Dieu, quamvis rotunde fateri malit, inexplicabilem, & tamen sine periculo hanc nobis esse difficultatem, quia deficientibus annalibus lateant nobis circumstantiae, quarum cognitio facilem redderet solutionem; nihilominus aliam, & sibi peculiarem, solutionem tentat: Nempe ex intuitu phraeos 1. Sam. 13:1. בַּמְּלָכּוֹ בֶן שָׁנָה שְׁמוֹנֶה עָשָׂר ubi sensus esse nequit, unum annum fuisse Saulem natum cum regnare inciperet, sed unum regni sui annum fuisse exactum cum inauguratio, de qua praecedenti Capite, repereretur, aut quum delectum militum faceret, de quo versu sequenti; & propterea vertendum, *Filius anni erat Saul in regno suo*: Unde etiam hunc locum eodem ferme modo explicandum censet: *Viz. filius 42. annorum erat Achasia dum regnaret*, id est, inquit, spatium regni ejus se extendit usque ad 42. annum ejus. Annos autem illos ita computat: 22. aetatis Achasiae, 1. regiminis, 2. Reg. 8. 26. item 6. matris Athaliae, ibid. & 13. annos Joasi, quibus ille sub tutela summi Sacerdotis Jojadae regnavit, 2. Chron. 23; & 24. Ita omnes istos annos, donec Joas majorennis factus est, ad vitam & regimen Achasiae referri putat Vir Doctissimus, cum tamen istos 42. annos ante unum illum Achasiae absolutos fuisse textus manifesto satis innuat, neque constet, diversis aliorum exemplis 13. praecise annos minorem habitum fuisse, neque tandem bis computandos esse Athaliae & Joasi annos, qui seorsim referuntur 2. Reg. 11:3. & 12. 1.

§. XI. Non omittenda plane videtur expositio Junii & Tremellii, locum in Chronicis reddentium h. m.

Ita regnavit Achasia filius Jehorami Rex Jehudae. Cujus matri nomen Hathalia nata Homri, agentis quadragesimum secundum annum, cum Achasia regnaret, qui uno anno regnavit Jeruschalaimis. Quae quidem solutio ab illa R. Jose, aliorumque, primo loco §. VIII. adducta, quoad sensum non discrepat, eo quod nomen Homri hic ad totam familiam, in qua ipse primus regnavit, pertinere, in notis asserunt. Sed cum loca ibidem in subsidium citata probandum nullo modo probent, & ista verborum trajectio, uti recte observavit Cl. Mejerus, valde dura sit, ut textui vim inferat, conciliatio illorum jam dudum rejecta est. Eaque de causa minus adhuc admittenda videtur opinio Doctissimi Usserii, qui, retenda Tremellii trajectione, loco agentis reposuit agens, ut non ad Omrin sed Athaliam istorum 42. annorum aetas referatur: quia talis hypothesis nulla ratione demonstrari potest, eoque sensu non כן sed שנה ושתיים ותרבעים dici debuisset. Neque tandem locum habere potest illorum explicatio, qui istos 42. annos ad Joramum referunt, verba vers. 1. & 2. ita redituri: Achasia filius Jehoram regis Juda, qui filius 42. annorum erat. Achasia in regnando ipsum. Quia sic conjunguntur dividenda, & dividuntur conjungenda, imo bis Jorami anni triginta duobus vitae anteaetae, & 8. regiminis, determinantur, ne dicam, quod tunc verba ארויה במלכו sine annis vel aetatis vel regiminis aliusve epochae, quales alias ubique addi reperies, nullum fundunt sensum. Sed haec de variis virorum Clarissimorum nodum istum Gordium solvendi modis dicta sufficiant.

§. XII. Cum itaque in omnibus haecenus allatis conciliandi modis jure merito aliquid desideres, in quo Viri Doctissimi vix sibi ipsis satisfacere potuerunt; restat, ut eam, quae nobis magis commoda videtur, difficultatis solutionem nunc subjiciamus. Ea autem ex nexu versus

1. & 2. Capitis XXII. Chron. talis est מלך אחזיהו בן יהורם
 מלך יהודה בן ארבעים ושנים שנה אחזיהו במלכו ושנה אחת
 מלך בירושלם ושם אמו עתליהו ברת עמרי: i. e. *Et*
regnavit Achasia filius Jorami regis Juda, nati quadraginta
annos, & duos annos Achasia erat in regnando illum, (cum
regnante illo,) & annum unum regnavit solus Hierosolymis,
& nomen Matris ejus Athalia, filia Omri. Qua demum
 explicatione admiffa nobis videntur omnia sibi satis con-
 stare, Sic enim tollitur difficultas & ἐναντιοφάνεια inter
 utrumque Scriptorem Sacrum, ita ut in libro Regum de
 annis aetatis Achasiae, in Chronico autem praeter annos
 Joram συγγρηγορον integro biennio patris & filii regimen
 describatur. Sic porro manet literalis & propria verbo-
 rum significatio, servanturque vocum ordinaria constru-
 ctio, ordo, & Characteres Chronologici ad unum omnes.
 Nec est, ut dubitemus hac ratione versus istos se imme-
 diate sequentes ita jungere, ut in secundo de eodem sub-
 jecto adhuc sermo sit de quo in primo, id quod in Sacra
 Scriptura, maxime in libris historicis, sexcentis fieri vi-
 demus, in quibus ejusmodi Appositione nihil frequentius;
 Neque etiam adversa esse potest haec explicatio illis, qui
 cum Judaeis distinctionem juxta Accentus ἑσπευσεν Ee-
 rae vindicant; cum & ipsi Judaei ex nexu & contextu
 Gen. 1: 30. verba הששי יום in Birchah Hammason ad
 initia Capitis sequentis legi velint, Ita Deut. 25: 2, 3.
 יכנו במספר ארבעים יכנו ad numerum 40 percutiet eum. Ra-
 schi ad h. l. & Jalkut p. 298. col. 3. ex Maccot cap. 3. p. 22.
 col. 2. cujus antiquitatem sensus collige ex 2. Cor. 11:
 24: Eodem modo Exod. 13: 3, 4 legunt: לֹא יֵאָכֵל
 חֵמֶץ הַיּוֹם & non comedetis fermentum, hodie. vid.
 Misch. Pesach, c. 9. §. 5. in Comment. Majm & Bart. &
 necessario Jehoschuae 13: versu 3, והעוים jungitur voci
 מתימן versu 4. vid. Talm. Cholin. c. 3: p. 60, col. 2. Een
 Jacob

Jacob pag. 733. Conf. Auctor. Libri Chiddusche Agadot
 R. Schemuel Edels p. 97. col. 2. Ita quoque Prov. 18: 5.
 טוב להשות צדיק במשפט in Taanit vid. Een Jacob f. 125.
 & similia plurima: multo minus offendere hæc expositio
 potest istos, qui omnem auctoritatem & fidem modernæ
 codicis Hebraei distinctioni, ut recentiori, adimunt, quales
 sunt plerique, si non omnes, mendum huic loco subesse pu-
 tantes. Ita certe Anni 32. & 8. Joram superior capite bis,
 vers. 5. & 10. adscripti, nunc in unam summam collecti ex-
 primuntur. Si objicias vocem שנה eo sensu post ארבעים
 requiri, observa, illam sæpe quidem redundare, ut חשע
 שנה מרת שנה ושלושים 930. anni, Gen. 5: 5. & alibi, non
 raro tamen etiam semel omitti, & commode subintelligi,
 maxime si eadem vox statim sequatur, uti Chron 21: 20.
 היה בן שלשים ושתיים הוה *filius triginta duorum annorum*
erat, adeoque etiam h. l. Jehoram rex Juda filius quadragin-
ta annorum erat, שנה אחידה במלכו, duorum vero
annorum Ahasia in regnando illum. Copulam & simplici-
 ter & adversative sententias jungere, nemo est qui nesciat.
 Biennium autem istud de regimine Ahasiae, una cum Pa-
 tre duobus vitae ejus extremis annis suscepto, asseri, con-
 stabit ex capitis antecedentis versu 15. ubi Joram ad man-
 datum Divinum ex literis Eliae denunciantur calamitas
 publica ex invasione hostium & morbi gravissimi. ימים
 ימים על שנת ימים על שנת *bier niu*
integrum, unde versu 19. ויהי לימים מימים וכעת צאת
יהי לשנת ימים משנת ימים. i. c. הקץ לימים שנים
perrexit enim וכעת צאת הקץ לשנת ימים:
de anno in annum, adeo ut quo tempore exhibat terminus
ille, completis annis duobus, conf. Gen. 41: 1. & Lev. 25:
 29, 30. nec non Aben Ezra & Raschi ad loc. cit. Eo ita-
 que tempore Ahasiae, anno aetatis vicesimo, maxime
 opportunum, quia imo necessarium erat, ut aegrotanti
 Patri

Patri, & vexato ac hostium incurfionibus labanti regno succurreret princeps haereditarius, במלכו *in regnando illum*, seu cum regnante illo, seu cum regnaret adhuc ille, np, Pater ejus Joram. Infitivus enim ille diversas istas fignificationes non excludit, vid. 1. Sam. 13. 1. & 2. Chron. 29. 3. idem quod למלכות 2. Chron. 16. 1. & alibi. His pofitis caetera fati clara & extra controverfiam videntur eſſe poſita.



ANNEXA RESPONDENTIS.

- I. **P**uncta vocalia & Accentus Hebraeorum Talmude antiquiora ſunt.
- II. Iſumque Eſtram Θεόπνευστον Auctorem habent.
- III. Sed praeter diſtinctionem etiam regendo legentium tono inſerviſſe manifeſtum eſt.
- IV. Unde eſt, quod Accentuatio una non ſemper integram ſententiam capere poſſit.
- V. Anthropomorphitis pejores ſunt, qui exinde quod Deus creaturis quibuſdam dedit corpus, ipſum quoque tale habere arguantur.
- VI. Non Deum ſed Non-Deum concipiunt, qui non aeque ſimpliciſſimum atque perfectiſſimum concipiunt.
- VII. Cum neque de Deo & rebus Divinis ſana Ratio fallat vel unquam fallatur.
- VIII. Quare & illi Spinozismo patrocinantur, qui mundum ex Deo productum ſomniant.
- IX. Particulae autem ׀, ex & עז non materiem ſemper, ſed Efficientem etiam cauſam ſaepe indigitant.
- X. Iſaque Scriptura S. non raro ἀνθρωποπαθῶς profert, quae Θεοπαθῶς intelligenda ſunt.

F L N I S.

